





EX BIBLIOTHECA HW. OCHS,  
AB OCHSENSTEIN.

Nicola. Se VI.

Selnecceris f. D. Nic  
Catalogus praecepsu  
rum Conciliorum  
oeconomorum, Fran  
cofurti, 1571, 5<sup>o</sup>.

DE VERBIS 75  
Actor. 3.

O P O R T E T  
CHRISTVM COE-  
LVM ACCIPERE.

BREVIS ET NECESSARIA  
commonefactio Nicolai  
Selnecceri D.



HENRICOPOLI.



ID I spargi scripta quædam, ut  
quibus inter reliqua, etiam ex uer-  
sione Beze, cuius labor in explicati-  
onem Noui Testamenti collocatus,  
si iudicium in nonnullis adhuc beatur  
uera pietate & doctrina instructum, sua certe laus  
de & commendatione dignus est, ut alijs, præser-  
tim in nostra Noui Testamenti ἐγγραφῃ, Deo ius-  
uante, ostendemus, uerba, quæ extant Act. 3. ( Os-  
portet Christum cœlum accipere ) allegantur hunc  
in modum, Oportet Christum cœlo capi.

Animaduertentes autem dolum & insidias  
καὶ ὑπὸ λογισμοῦ subesse colligentes, uiri boni &  
pij dolent, cō rem & fidem, confessionem, & con-  
stantiam redactam esse, ut ex manifeste deprauatis  
sacræ scripturæ testimonijs ostentanda sit eruditio-  
nis alicuius opinio, & confessionis regula.

Ego certe quid amplius faciam, nescio. Emi-  
grare cupio, & esse cum Christo. Video enim, quo  
res inclinent, ac quod ferè nemo amplius sibi cordi  
& curæ gloriam Christi, qui sedens ad dexteram  
Patris Dei omnipotentis, caro, & sanguis noster  
est, esse uelit.

Dabitur fortasse tempus, & occasio, iuste &  
sufficienter conquerendi de istis insidijs alijs, uel  
etiam coram tribunali Filij Dei, & in ultimi iudicijs  
execus

excutione. Nunc tantum supputridum conatum  
corum, qui uerioni isti adhærent, ut iuuentuti piæ  
detegamus, primum uerba, siue textum, deinde uera-  
sionem siue glossam conferemus.

Nihil profectò iam ab hinc annis uiginti, ma-  
gis nos mouit, turbauit, anxios reddidit, & ut ac-  
cessionem ad speculationes Sacramentariorum nudo  
capite factam esse, crediderimus, pro dolor, per-  
suasit, quam allegatio uerionis profectò malæ &  
impiæ, Oportet Christum cœlo capi. Ex hac e-  
nim citatione, quid subsit, conspici potest.

Textus durabit, glossa peribit iners. Et Oecō  
Lampadio istud à principe quodam magnanimo ob-  
iectum, glossas scilicet illum, eiusq; manipulares  
quærere, Lutherum uero uerba, & succum ha-  
bere, nullo alio responso solui potuit, nisi, uelle ni-  
mirum se amputatam sibi manum prius fuisse, quam  
contra Lutherum scribere unquam aliquid cepisset.

Quod ad me, ut minimum & miserrimum, &  
quotidie expetentem, exoptantem, & expectantem  
diuinæ clementiæ & auocationis horulam, attinet,  
cupio nullius doctrinæ, conscientiæ, fidei, famæ,  
aut rebus nocere. Simplicitas, rectumq; tuum me,  
Christe gubernent.

ZHTΩ NΩE οἴΒωΤΟΥ, ὅπως μόροι ἀνθρά-  
κυζω. Crucem uero et exercitiū exopto omnibus et

singulis, qui iam maiestatem Christi scrutantur iuxta rationis humanae captum, et uanis disputationem, et questionum ampullis expediri posse, et limitari gloriam assumptae et glorificatae in Christo carnis nostrae arbitrantur. Bonum est mihi, inquit David, quod humiliasti me, etc. Et recte dicitur: Non tentatus, qualia scit. Atq; hoc deesse video ihs, qui deprauatores sunt manifeste perspicuitatis et ueritatis.

Sed audiamus et legamus uerba concionis a Petro habitae, quae in Graeco textu sic se habent.

μετανοίσατε δύ Επιγρέψατε, εἰς τὸ ἔξαλτον πάντας ἀμαρτίας, ὅμως ἀπὸ Ελθωσι παιδοί ἀνατύξεως ἀπὸ τοῦ Κυρίου, καὶ ἀποστέλλοντες τὸν τρόπον εκκρυμένον υἱοῦ Ιησοῦ χριστὸν, διὰ δὲ συρρενόντος μὲν δέξασθας αὐτὸν χρόνῳ παπονατασάσεως πάντων καὶ λοιπῶν.

Hieronymi uersio, Pœnitentia igitur, et conuertimini, ut delcantur peccata uestra, ut cum uenerint tempora refrigerij a conspectu Domini, et misericordia cum, qui prædicatus est uobis, Iesum Christum, quem oportet quidem cœlum suscipere ( recipere) usq; in tempora restitutionis omnium, etc. Erasmus, Quem oportet quidem cœlum accipere.

Ex Syri testamenti uersione, Resipisci igitur et conuertimini, ut delcantur peccata uestra, et euangeliant

uiant uobis tempora tranquillitatis à conspectu fæciei Domini, ac mittat uobis illum, qui præparatus erat uobis, Ieschua Christum, quem oportet Cœlos excipere, usq; ad complementum temporum omnium, &c.

Ex Germanica D. D. Lutheri uerzione omnium dexterrima, & maximè perspicua.

So thut nu busß / vnd bekeret euch / das ewere Sünde vertilget werden / auff das da Eome die zeit der erquickung / für dem angesicht des HErrn / wen er senden wird / den / der euch jetzt zuuorn geprædiget wird / Ih<sup>u</sup>s Christum / welcher mir den Himmel einnehme / bis auff die zeit / da er widerbracht werde alles / was Gott geredt / etc.

Hæc igitur uerba (Quem oportet cœlum accipere) aliter nunquam in uera Ecclesia, nisi de exaltatione naturæ in Christo humanæ, siue de sessione Christi, ad Patris omnipotentis dexteram, accepta & intellecta fuerunt, ut erudita antiquitas, & consensus omnium sanorum comprobant, quæ quidem sessio non est incertum in cœlo, siue in cœlis locum collocatio, aut alligatio, sed est πάντας ἐγονοίς donata glorificata & exaltata in Christo.

DEXTE  
KA

naturæ humanæ. Ascendit enim Christus ad cœlos, id est, ut Augustini uerbis utar, conditionem naturæ, quam de hominum matre natus assumit, super cœlos in dexteram Dei Patris collocauit. Dexteræ autē Dei, ut Athanasius & Basilius categorice, euia denter, ac uerissime interpretantur, non circumscriptum quid significat, neq; locum aliquem, uel inferiorem, uel Physticum, qui sit spaciū conti- nentis corporis cedentis contento, sed significat statum æqualitatis, maiestatem scilicet, gloriam & honorem Dei, ad quem Christus secundum huma- nam suam naturam est translatus.

Damasc.

Damasc. lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 2. A dextris Dei Patris sedere dicimus Christum σωματιῶς, uerum non localem dexteram Patris dici- mus. Quomodo enim is, qui ἀπὸ πάντων ἐστι, localem habeat dexteram? Localis enim dextera & sinistra eorum existunt, quæ circumscribuntur. Dexteram igitur Patris intelligimus gloriam & honorificentiam deitatis, in qua Dei Filius ante secula existens ut Deus, & Patriόμοδος, in nouissimis temporibus incarnatus est, & corporaliter sedet, conglorificata carne eius

Chrysost. Heb. 1. Sedet ad dexteram maiesta- tis in excelsis. In excelsis, dicens, non loco conclus- dit Deum, sed ostendit hominem Christum omnibus altiorem & eminentiorem

Idem, Ascendit supra omnes cœlos, ultra quos

quos quoq; nihil est aliud. Hoc uidelicet est potens  
tiæ & dominationis ipsius.

Ebræ. 7. Excelsior cœlis factus est. Hic cœlos  
non corporeas machinas tantum intelligimus, quibus  
sublimior est factus etiam secundū humanam natu-  
ram (ut ipsius etiam Oecolampadij interpretatione  
utar) quia secundū diuinam naturam exaltari non  
potuit, sed etiam omnes angelos et sanctos. His enim  
omnibus superior, in ipsum paternū soliū sua carne  
(nam Deus Verbum semper extitit cœlis sublimior)  
confedit, ut Oecumenius loquitur, & super omnes  
cœlos & cœlestiū spirituū ordines eleuatus est ad  
confessum paternæ maiestatis, ubi nunc sedet in ple-  
nitudine honoris & gloriæ, ut Primasius Augusti,  
discipulus præclare loquitur, nō ut Deus Verbū,  
qui nimirū cœlos omnes fabricauit, sed secundum  
carnem et naturam humanā, cui data iam est omnis  
potestas in cœlo & in terra. Nam diuinitas carni  
contulit, quod semper Filius Dei cum patre posse-  
dit, ut Seueriani uerbis utar, qui claruit circiter an-  
nū Christi 400. Et illi, inquit, Hieronymus, potestas  
data est, qui paulò ante crucifixus, sepultus intumu-  
lo, postea resurrexit, id est, non de coæterna Patri  
diuinitate, sed de assumta humanitate, & carne, po-  
testas illa in cœlo & in terra, & exaltatio Filio' ho-  
minis data, siue ut Athanasius loquitur, πρὶ τὸν  
τοῦ οὐρανοῦ πρὶ τῆς θεότητος, intelligenda est,  
ut pia & orthodoxa antiquitas semper locuta est.

Sedere.

Verba igitur ( Oportet Christum cœlum acci-  
pere ) non de corporali aliqua sede, aut loco, sed de  
core, honore, gloria, & maiestate, siue de plenitu-  
dine paternæ maiestatis, ut pia & crudita antiquis-  
tas, & cum hac omnes orthodoxi omnibus tempo-  
ribus locuti sunt, accipimus, & in hac fide, senten-  
tia, & confessione uiuimus, morimur, & saluamur,  
scientes, carnem, siue naturam nostram à Filio Dei  
in unitatem personæ assumptam, glorificatam, &  
supra omnes cœlos cuectam, sedere ad dexteram  
Patris omnipotentis, & habere omnem potestatem  
in cœlo & in terra. Accepit enim ut homo, quæ ha-  
bebat ut Deus, inquit etiam ipse Theodoretus, &  
sumpta ex nobis natura, eiusdem honoris cum eo,  
qui assumpsit, fit particeps, corpore non in diuinis-  
tatis naturam mutato, sed impleto diuina gloria  
( Dial. 2. ) & coniuncto in unius Deitatis perfectio-  
ne, ut Epiphanius uerbis utar.

Theodoretus ex Athanasio contra scipsum, ut  
uidetur, hæc citat, Sede à dextris meis. De cor-  
pore dominico hæc dicta sunt. Si enim cœlum &  
terram ego impleo, dicit Dominus, & omnia con-  
tinet Deus, nullo autem continetur, in qua non sede-  
set. Corpus ergo est, cui dicit, Sede à dextris meis.  
Ἐπωμα τὸν ὄντα διπλού λέγει νόθος ἐν δεξιῶμα.

Gregor. Nyssenus orat 3. de resur. Domini,  
Quæ naturaliter habebat tanquam Deus, ea dici-  
tur accipere, ut homo, certo consilio factus. Quam  
obrem

obrem etiam dicebat, Pater glorifica me apud te  
met ipsum gloria, quam habebam, &c. Nisi enim  
hanc propriam haberet ut Deus, fieri non posset, ut  
eum tanquam alienam acciperet, Deo & Patre per  
Prophetam dicente, Gloriam meam alteri non dabo.

Hæc de sententia uerborum Petri, breuiissime  
in gloriam et maiestate Filij Dei & hominis, creato-  
ris & fratriis nostri sufficiat, donec forte coacti plus  
ribus cum pluribus, & amicis & inimicis mihi, autē  
amicis omnibus et singulis, qui Christi τὸν θεαυθόω-  
πον Emanuels maiestatē, & diuinā, siue infinitam  
potentiam, non duplicitem, sed unam, quæ est, (ut se-  
mel dicam) diuina, & æterna, quærunt, agendū sit.

Vigilij, qui martyr nominatur, uerba hac de re,  
que pro explicatione loci Acto. 3. adducuntur si-  
ne exceptione non admittimus, in hunc modum se ha-  
bentia, si uerbi & carnis una natura est, quomodo  
cum uerbum ubiq; sit, non ubiq; inueniatur & cas-  
tor. Namq; quando in terra fuit, non utiq; erat in  
cœlo: Et nunc quia in cœlo est, non est utiq; in ter-  
ra, & in tantum non est, ut secundum ipsam Chri-  
stum speremus uenturum de cœlo, quem secundum  
Verbum nobiscum credimus esse in terra.

Obstat nobis, cùm quod multa partim plane Os-  
belisco, partim Limnisco digna idem Vigilius habe-  
at, ut, quod Christus non sit mediator & aduocatus  
noster secundum Deitatem, sed tantum secundum  
nostram naturam, interpellat pro nobis Patrem, &  
appela-

appellationes Iesu & Christi, non ad Deum, sed ad hominem pertaineant, cui delirio ipse quoq; Theodoreus contra dicit, tūm quod Christum secundum naturam humanam assumtam & glorificatam, certe loco cœli alliget, & formam serui à nobis ablatam, ut ipse loquitur, quæ tamen nunquam ut seruileis forma in cœlum translata est, à nobis plane absentem esse, ideoq; quod inde uerani homines colligunt, σωματινὴ παρούση Christum in cœna sua, nec omnipotentiæ, nec ueritatis suæ ratione esse uel posse, uel uelle, fingat. Nam quod ait, Christi carnem loco contineri, in doctrina cum potentia & maiestatis Filij hominis, tūm coenæ Dominicæ, uerum esse nec potest, nec debet. Etsi enim corpus suam πριγράφει retinere dicatur, & proprietas suas essentiales, tamen exceptio semper in ijs prærogatiuis, ταῖς ἀπριγράφοις & hyperphysicis, quas sacra scriptura corpori, siue humanae toti naturæ in Christi persona tribuit, præponderat merito.

Contradicit autem Vigilius sibi ipstî, dum ex Chrysostomo uerba citans Cognoscamus quæ naturasit, cui dixit, Sede ad dextram meam, & esto mea particeps sedis e illa nimirum, quæ audierat, terra es, & in terram ibis) naturæ in Christo humanae asscribit sessionem ad dextram, id est, Maiestatem diuinam, & uniuersum imperium in omnes creaturas.

aturas, & tamen audes sine discrimine & exceptione, præsertim doctrinæ de coena Dominica, in qua iuxta institutionis uerba ubiq; ubiq; illa in Ecclesia administratur, Christus corpore et sanguine suo adest præsentि, & per manum ministri eadem uescen tibus pane & uino porrigit, communicat, & di stribuit, Christi corpus, siue potius naturam in Christo humanam loco cœli alligare, quam tamen dicit, in dextera magnificentiæ Patris sedere.

Nobis Catechismi uerba, quæ in Ecclesijs & Scholis Misnicarum regionum, & alijs multis in lo cis adhuc Dei beneficio sonant, loco confessionis esse debent.

ω̄αδρό̄ ο̄νός θεοῦ, ἐν αὐθῷ πάπιται τῇ σαρκὶ, καὶ ὀνασάς εἰς τὸν νεκρῶν, καὶ ἀναληφθέις εἰς οὐρανόν καθηται εἰς δεξιῶν πα τρός παντριῶμον ἀλιθινῶς μὲν καὶ χωρίς πάπιται ἀληγορίας τε καὶ ὑπονοίας οὐ πλά στις διανοῆται, οὐπερ πριγραφῇ ἢ τόπῳ τῇ λογιζμῷ αὐθῷ πίνεις, αλλ' ἀχωρήτως τε πάπιται, καὶ ἀνεκδικύητως τῇ φράσει, οὐ παταλήπιται. Τοῦτον τὸν αὐθῷ πιπών, οὐτω οὐ πάριται οὐ πάπιται Ιησοῦς χριστός, διαδίδοται οὐ τῇ Εκκλησίᾳ καὶ τῷ πνευματικῷ διάταξι, οὐτεκῶς μὲν οὐ τῷ οὐτι, οὐ τροπικῶς οὐ οὐδεκατιθέμενως τὸν γένημάτων νοσμένων, αλλα οὐδεκινῶτων ἀπλῶς ποτε μανόμενον.

γίνεται

γίνεται ταῦτα δὲ πλαστῶς δυδὲ τυ-  
πινῶς ἡγουμένη προπηκός οὐταὶ ὑπόνοιαί τι-  
νεῖ, αλλ' ἀληθῶς καὶ τῷ νοῦ τῇ γρημάτῳ.  
Id est, ut autor ipse reddidit.

Quem idmodum Filius Dei homo factus est, et  
passus carne, et resurrexit ex mortuis, et assum-  
tus in cœlum, sedet ἐν dextris Patris omnipotentis, re-  
uerā, et sine omni allegoria atq; commento, et ficta  
animi intelligentia, non tamen ille circumscriptus  
loco, aut cogitatione humana, sed ita ut capere ulla  
creatura, et effari elocutio, et comprehendere mens  
hominum nequeat, Sic et corpus et sanguis IESU  
Christi, distribuitur in Ecclesia secundum ordinati-  
onem Dominicam, uerē quidem et re ipsa, non tro-  
pica aut figurata uerborum significatione, sed in-  
dicio simplicis significationis, et c.

Et Paulò post:

Hæc non fiunt fictè, aut figuratè tropico quo-  
dam commneto, sed uerē secundum uerborum in-  
telligentiam.

Ex his, quæ breuissimè notauiimus, manifestum  
fieri omnibus potest, glossam et uersionem istam  
peruersam (Christum cœlo capi,) analogiæ fidei  
et diametro repugnare, et improbari meritò, mul-  
tis, ijsq; grauiissimis de causis, quarum paucas ple-  
nius et diligentius pio lectori, ueritatis et simpli-  
titatis amanti considerandas subijcimur.

Prima

Prima est, proprietas sermonis in omni lingua,  
Quis enim unquam hunc sensum inde eliciat, quando legimus ( Prædicatus est Christus, quem oportet cœlum accipere, &c. ) ut ordine transposito uerborum, & mutato, amphibologiam fingens temerario ausu affirmet, cœli uocabulum poni loco subiecti, cuius sit quasi officium, ut Christum capiat & contineat? atq; ideo dicendum esse, Christum cœlo capi, id est, cœlo contineri. Apollinis ne oracula, & Sibyllæ folia in sacris literis, & cūdētibus testimonijs quærimus?

Secunda igitur causa est, Veritas & Maiestas linguae sacræ, cui tales ex tripode & inferis res uocatæ flexibilitates affingendæ non sunt.

Tertiò, manifestum est, uersionem istam passiuam tantum usurpari ad stabiliendum delirium de localitate, siue corporali locatione, cuius testimonia nulla extant in sacris literis. Potentia enim Christi Filij hominis, sedentis ad dexteram Patris Omnipotentis, longè maior est, quam ut localitatis, aut corporalis locationis noua & periculosa uoce eludi, & eneuari, & certo cœli loco astringi, & eodem capi, terminari, & contineri possit. In ignominiam igitur & contumeliam glorificatæ in Christo humanæ naturæ, sedentis ad dexteram Patris, uersio ista cedit.

Quar-

*Tigurini*  
Quarto, omnium sanorum fides & conscientia  
isti uersioni contradicit, sicut Tigurini ea de causa  
modestiores esse uidentur, dum Christum cœlo capi,  
aliorum, non suam interpretationem esse dicunt.

Quinto, uersio ista excogitata nuper, &  
uniuersæ antiquitati, nostrisq; Ecclesijs & Scholis  
hactenus ignota, ad coenæ Dominicæ deprauatio-  
nem, & negandam ueri corporis & sanguinis  
Christi præsentiam & participationem naturalem,  
directa est, & confirmat Sacramentariorum por-  
tenta.

Te oramus Fili Dei, Domine noster I E S V  
CHRISTE, ut nobiscum sis & maneas, & omnis-  
potentiam & ueritatem tuam asseras, & corda no-  
stra ad gloriam & laudem tui nominis, unias, san-  
ctifices & conserues nos in agnita semel ueritate  
& confessione doctrinæ, & fidei simplicis, candi-  
dæ, & incorruptæ, nec patiaris nos dimoueri ullo  
metu aut periculo à ueritate Verbi tui, &  
ab huius meditatione & gemitu, ut  
David loquitur.

V Volfferbyti, Calendis Maij.

A N N O.

M. D. LXXI.

SOLI DEO HONOR ET  
GLORIA.

ta  
sa  
oi,  
is  
os  
nis  
n,  
r-  
V  
ii-  
os  
n-  
ate  
dis  
llo



154/144

AB 154/144  
(X 2203682)

219.

D. NIC  
CAT  
PR  
CON  
OECON

1571  
1583

AB  
1583

